



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii
Apostolici, olim Ecclesiae Venusinae, ac deinde Aesinatis
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad
Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus,
Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon
Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus,
apprimè utile ...

In qua præter formulas Declaratoriarum Censurarum, ponuntur aliæ
formulæ, tum Citationum, ac Monitionum pro validitate processuum
requisitarum, tum Decretorum, aliorumve actuum ad opportunitatem, &
ornatum materiæ incidentium; acceditque in calce Appendix miscellanea,
plura, ad Gubernium ...

Monacellus, Franciscus

Venetiis, 1709

Denunciationis Form. XX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62433)

Denunciationis

F O R M U L A XX.

HIC auctoritate ordinaria denunciatur, & declaratur excommunicatus excommunicatione majori nobis reservata N. ex eo quia monitus judicialiter, ut omnino abstinere ab exactionibus, & contractibus usurariis, obedire contempsit, & in illis exigendis pertinaciter perseverat. Ut igitur ab omnibus evitetur, praesentes iussimus publicari. Datum &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Actuarius.

V E L

CON auctorità ordinaria si denuncia, e dichiara scomunicato di scomunica maggiore, a noi riservata N. perche essendo stato canonicamente ammonito ad astenersi d'efigere le usure, e da far contratti usurarii, ha disprezzato la monitione: e contro il divieto della legge Divina, e de Sacri Canonii, pertinacemente continua esigerle, & a far contratti illeciti: che però accioche da tutti sia evitato, &c.

ADNOTATIONES.

* **CORAM NOBIS EXHIBITA.**

Hoc dicitur ad indicandum, quod contra usurarios proceditur ad instantiam facti, & ex officio, tam ad desistendum ab exactione, quam ad restituendum usuras per censuras Ecclesiasticas per *text. in cap. tuas dudum 13. de usur. ibique Barb. nu. 1. Ricc. collect. 372.*

2 An autem Judex Ecclesiasticus cognoscat de hoc crimine privative, tres sunt DD. sententiae. Prima tenet, quod sit crimen merè Ecclesiasticum, & ideo ejus cognitio, etiamsi à laico committatur, ad solum Ecclesiasticum judicem spectet, ex eo quia causa usurarum, inter Ecclesiasticas numeratur *Clem. 2. de judic. Glos. in c. cum sit verb. malefactorem de for. com. Sperell. dec. 40. n. 81. & alii plures, quod refert Bellett. disq. cler. de favor. real. §. 4. n. 138.*

3 Secunda sententia distinguit inter quaestionem juris, & quaestionem facti: nam

si sit quaestio juris, nempe an contractus, sive conventio sit usuraria, nec ne, tunc ejus cognitio ad solum Judicem Ecclesiasticum pertineat, quia tunc agitur de peccato, de quo solum Judex Ecclesiasticus cognoscit: si vero sit solum quaestio facti, utpote quia constat contractum esse usurarium, & illicitum, & agatur pro repetitione usurarum, vel de quantitate, vel de earum inhibitione, & tunc possit uterque judex cognoscere scilicet secularis inter laicos, & Ecclesiasticus inter Clericos, & etiam inter laicos, si praevenerit, & hanc sequitur Bellett. *loco citat. d. num. 138. circa fin* ubi quod non sit tutum ab hac distinctione recedere, Fagn. *in c. tuam de or. in. cognit. num. 37. & 38.*

Tertia, & verior sententia est, quod usura sit crimen mixti fori, ita ut non solum quando est quaestio facti, sed etiam in quaestione juris, possit de ea cognoscere judex saecularis inter laicos sibi subditos, si praevenerit: tum quia canones

- nones nullibi prohibent sæcularibus iudicibus, ne de crimine usuræ inter laicos cognoscant, imo potius permittunt, ut habetur *in c. post miserabilem de usur.* tùm quia usura in se non continet majorem iniquitatem, quam homicidium, furtum, rapina, adulterium, & similia delicta, quæ non minus Lege Divina, & naturæ prohibita sunt, & hanc (quam, & ipse sequor) tuentur *Leotard. de usur. quest. 100. n. 78. & 79. Tondut. de prævent. par. 2. cap. 26. n. 1. & 8. vers. sed tamen. Conciol. ref. crimin. verb. delictum ref. 2. n. 12. Pirhing. in jus can. lib. 5. tit. 19. n. 142.*
- 5 Et huic tertiæ sententiæ favet resolutio *Sac. Congreg. Episcop. & Regular.* quæ sub die 16. Junii 1592. responsum dedit Episcopo Mileten. quod si ipse prævenerat in causa usurarum contra laicos, poterat ad pœnas sacrorum canonum procedere, firma remanente libertate iudici laico, procedendi contra reos ad alias pœnas contentas in Pragmatica Regni.
- 6 Verum est tamen, quod in Statu Ecclesiastico propter bannimenta generalia, quæ referuntur a Panimolla *dec. 17. annot. 3. num. 2.* tenenda est secunda sententia, quæ vult, quod quando quæstio fit juris, & dubitetur de substantia contractus, ad Judicem Ecclesiasticum privatè causa pertineat. Et ubi viget consuetudo, ut de usuris, tam in quæstione facti, quam juris solus Judex Ecclesiasticus cognoscat, servanda erit, *Pirhing. loco sup. cit. cap. d. n. 142. §. 1. in fin. D. Ursay. instit. crim. lib. 3. tit. 7. n. 68.*
- 7 Et Contractibus usurariis. Usura licet sacris canonibus, Constitutionibus Apostolicis, & ferè ubique legibus Principum, fuerit repressa, adhuc sub tegmine Contractuum, miras per artes serpit per Orbem, Primum exemplum habemus in cambiis, quæ non semel Campsores, & Argentarii, imò & aliæ personæ privatæ mercaturam non exercentes contrahunt, nullis receptis litteris, nummos dant, & lucrum a ditoribus stipulantur, ad eam usque rationem, quam referunt Cambia in Nundinis v. gr. Placentiæ, vel alterius Civitatis, ubi Cambiorum Nundinæ habentur, ne-

que itur, neque mittitur ad Nundinas, sed ibi pecunia repositur, ubi numerata est, cum lucro, & accessione Cambiorum.

Item secundo modo contrahunt litteris quidem datis, sed non missis, & nihilominus singulis Nundinis ineunt rationes, proinde ac si vera, & naturalis solutio, & numeratio intercessisset, cum incremento, & accessione Cambii.

Item tertio contrahunt datis quidem, & missis litteris sed ea mente, & intentione, ut unde processerant inanes referantur, cum sciat campso nullum in Nundinis esse, qui litteris receptis fidem debitoris exsolvat, & solvat; & tamen cambia uno, vel altero ex dictis tribus modis contracta tanquam sicca, & illicita damnata, & reprobata sunt a *Constit. 118. B. Pii V.* ut plenè ostendit *Leotard. de usur. quest. 25. numer. 40. 69. 71. & 73.* ubi quod ad effugiendam Bullæ distractionem, non admittitur Campsores excusatio dicentis, se misisse litteras ad loca, ad quæ scripta sunt, & per eum stetisse, qui cambio pecunias accepit, quod sibi non solverit, & paratum illum non fuisse ad pecunias suo tempore recipiendas: quia ubi revera nulla sit transmissio pecuniarum, cambium remanet siccum, & semper illicitum *Rot. coram Peuting. dec. 95. nu. 1. & coram Cerro dec. 563. n. 1.*

Quicquid sit, an debitor, qui assumit in se onus cambiandi, & hoc non fecit, teneatur ad damna, & interesse, *Rot. decis. 131. nu. 20. par. 11. rec. Sabell. sum. divers. tract. §. usura num. 5. vers. multa de Cambiis: & an creditor cambi, qui loco damnorum, & interesse, cambia vult exigere, teneatur probare requisita Casstrensis in leg. 3. §. fin. ff. de eo quod cert. loc. Rot. coram Peuting. d. decis. 95. num. 3. & 4. decis. 448. nu. 1. & coram Cerro decis. 583. n. 10.*

Secundum exemplum magis frequens est in contractu Societatis Animalium præsertim Ovium, Caprarum, Equarum, & Vaccarum, in quo Socii, passim, ut capitale pro eo, qui illud confert salvum maneat, utque omne periculum, & damnum ab altero Socio recipiente

piente sustineatur, simulque certa lucri quantitas, & summa in singulos annos, vel menses solvatur, paciscuntur: & tamen huiusmodi contractus, & pacta, tanquam illicita, & usuraria damnata sunt à Summo Pontifice Sixto V. per aliam Constitutionem impressam in Bullar. tom. 2. Const. 45. quam ad hujus rei fidem hic subijcio. Ait enim Pontifex.

Detestabilis avaritiæ ingluvies &c. Nam multi speciosum, & honestum Societatis nomen suis fœderatissimis contractibus prætexendo, hoc quasi colore, & fuco, Mercatoribus, Opificibus, negociatoribus, & aliis personis, super eorum mercibus, officinis, pannariis, aliisque rebus, ac bonis pecunias suas, aut alias res, Societatis nomine conferunt, vel greges, armenta, aut certa animalia agricolis, seu terrarum cultoribus, pastoribus, aliisque rusticis, seu quibusvis personis, dant in Societatem, sive ad Societatem, ut vocant, ea conditione, ut fors ipsa, seu caput, quod vulgo dicitur capitale, tam pecuniarum, quam animalium, & rerum saluum semper, & integrum existat pro eo, qui non indusriat aut operas, sed pecunias, animalia, aut res huiusmodi in Societatem confert, utque omne periculum, & damnum ab altero socio recipiente sustineatur, contra æquitatem, & Societatis justitiam diversimodè paciscuntur, eisdemque socios cum quibus contrahunt, plerumque pauperes, & egenos, suoque labore, & industria victitantes, ad sortem, seu capitale restituendum, quicumque tandem casus, & rerum eventus consequatur, pacto & obligatione obstringunt, simulque etiam certam lucri quantitatem, & summam, veluti tot pro quolibet centenario, in singulos annos aut menses per alterum socium durante societate solvendam præstunt, ac præscribunt, eamque summam, & quantitatem non subductis rationibus accepti, & expensi, quod in codicibus, seu tabulis Societatis referri solet, neque facto calculo, vel computo pro ipsius lucri, vel damni modo variabile, sed laborem, & curam computandi, & calculandi, se invicem remittere, & renunciare asserentes, quovis tempore certam constituunt. (Hæc in præmio.

Proinde nos &c. huiusmodi morbi contagionem antequam in communem fidelium perniciem latius serpat, tollere cupientes &c.

Hac nostra perpetuò valitura Constitutione damnamus, & reprobamus omnes, & quoscumque contractus, conventiones, & pactiones post hac ineundos, seu ineundas, per quos, seu quas cavebitur personis, pecunias animalia, aut quaslibet alias res Societatis nomine tradentibus, ut etiam si fortuito casu quamlibet jacturam, damnum, aut amissionem sequi contingat, fors ipsa, seu capitale semper saluum sit, & integrum à Socio recipiente restituatur, sive ut de certa quantitate, vel summa in singulos annos, aut menses, durante societate respondeatur: Statuimusque huiusmodi contractus, conventiones, & pactiones, usurarios, & illicitos post hac censeri debere, atque in posterum non licere iis, qui pecunias, vel animalia, aut alias res in Societatem tradent, de certo lucro, ut præfertur percipiendo, inter se pacisci, & concordare. Neque etiam sive ad certum, sive ad incertum lucrum convenerint, socios qui ea recipient, ad sortem, seu capitale saluum, & integrum, ubi illud casu fortuito perierit, vel amissum erit, reddendum quovis pacto, aut promissione sibi obligare. Ac ne de cætero Societates ineantur sub huiusmodi pactis, & conditionibus, quæ usurariam pravitatem sapiunt, districtè interdicanus, & prohibemus.

Sed potius cuncti noverint Societates huiusmodi, cum impostèrum unus pecuniam, animalia, aut alias res, & bona, alter vero operam, vel industriam confert, pure, sincere, & bona fidei sicuti decet, justis, & æquis conditionibus, & pactis, secundum juris dispositionem, ac sine ulla prorsus fraude, palliatione, aut usurariæ pravitatis labe, aut suspitione, ineundas, seu contrahendas esse. Ita ut non ad certam summam, aut quantitatem, ab omni periculo, & damno, ut præfertur, immunem, lucri nomine persolvendam, neque ad capitale, si casu fortuito perit restituendum, socius accipiens teneatur. Si vero finita Societate ipsum capitale extat, ei, qui illud in Societatem contulerit, restituatur, nisi Socio recipienti fuerit communicatum aut aliter inter ipsos contrahentes, super eo legitime conventum sit. Ac præterea iidem contrahentes, fructus, expensas & damna in commune conferant, & prout æquum, & justum fuerit, sibi communicent, atque dividant.

De-

Decernentes, si qui contractus, conventiones, & pactiones in futurum contra nostram huiusmodi prohibitionem de facto initi fuerint, nullam ex eis, tanquam per hanc eandem Constitutionem nostram, damnatis, & reprobatis, etiamsi iuramento, aut in forma Camerae Apostolicae, vel alias quomodolibet roborati fuerint, obligationem civilem, aut naturalem oriri, nullamque actionem realem, aut personalem, aut Judicis officium, neque aliud quodcumque jus cuiquam competere, neque quoad sortem, seu capitale integrum recuperandum, quod casu fortuito perierit, aut amissum erit, neque quoad certas summas, & quantitates in singulos annos, aut menses lucri socialis nomine promissas.

Si quis vero impofterum sub praedictis conditionibus, & pactis contrahere temere praesumpserit, aut praetextu similium contractuum, conventionum, & pactiorum Societatis nomine initorum, qui hucusque durant, ad exactionem dictae sortis, seu capitalis, sive illius precii, & valoris, postquam illud in toto, vel in parte casu fortuito perierit, aut amissum sit, ut certae summae, vel quantitatis annuae, aut mensurae sibi promissae in futurum, procedere ausi fuerint, eos universos, & singulos in poenas contra manifestos usurarios, & foeneratores a Sacris canonibus, & Conciliis generalibus latis, & promulgatas, eo ipso incurrere, & contra illos, uti manifestos usurarios, & foeneratores via juris, aliisque opportunis remediis procedi posse, & debere (haec in dispositiva)

12 At quanquam ex hac Constitutione reprobatio contractus capitalis salvi, clarissima sit, adhuc non desunt Doctores qui tenent, quod etiam hodie ea non obstante licita sit pactio de capitali salvo, & certo lucro solvendo, prout sunt Lessi. de just. & jur. Card. de Lugo, & alii quos referunt, & sequuntur, Conciol. resol. crimin. verb. Bulla resol. 7. per tot. Pacion. de locat. c. 12. à num. 48. ad 59. supponentes quod Sixtus in hac Bulla condemnat solum contractus Societatis, qui sunt de jure communi prohibiti: & asserentes & firmare astruentes, quod pactum assecu-

rationis capitalis, sit de jure licitum, quando susceptio periculi compensatur cum majori, vel parte aliqua fructuum, aut cum aliis pactis favorabilibus Socio suscipienti periculum.

Primum suppositum fundamentum 13 hujus opinionis, non subsistit in facto: quia Bulla unice emanavit ad profligandum foenus, quod sub nomine Societatis exercetur, ea maxime conditione, ut fors ipsa, seu capitale tam pecuniarum, quam animalium salvum semper, & integrum existat pro eo, qui illud confert, omne periculum, & damnum in socium recipientem contra aequitatem, & societatis justitiam transferendo, & ideo hunc contractum praecise damnat nominatim: & in §. Secundo monendo, ut contractus Societatum in futurum fiant, secundum juris dispositionem, iterum repetit quod -- Sint non ad certam summam, aut quantitatem ab omni periculo & damno ut praefertur immunem lucri nomine persolvendam, neque ad capitale, si casu fortuito perit restituendum Socius accipiens teneatur (sunt verba Bullae supra relatæ in §. sed potius) & sic contractum quem sustinere autumant praefati DD. damnat & reprobat in principio, medio, & fine Bullae, sapientissimus Sixtus.

Nec minus subsistit in jure secundum 14 fundamentum contrariae opinionis, quod scilicet pactum de capitali salvo evadat licitum per recompensationem majoris partis fructuum favore suscipientis periculum: quia ponens capitale, si non subit ejus periculum, stat per semper in securo: ponens vero operam, & industriam, nihil certi habet pro ejus recompensatione, nam potest dari casus, quod in Societate, (praesertim animalium) adfit damnum, vel non adfit lucrum, ex quo periculi jam suscepti recompensationem habeat, unde deficiente compensatione, cessat aequalitas, quæ omnino servanda est inter socios de substantia contractus, ut bene firmat, Heff. Felic. de Societ. c. 18. per tot. ideoque pactum quod capitale sit salvum omni jure improbat, ut dixit Rot. decis. 752. num. 11. par. 1. rec.

Augetur iniquitas hujus contractus 15
ex

ex eo, quod periculum, & damnum capitalis refundatur in socium, etiamsi fortuito casu pereat: nam de jure damnum quod ex natura, & ex fortuna provenit, pertinet ad Dominum animalium: & hinc merito pactum hujusmodi, uti illicitum, & usurarium, Bulla reprobatur, & DD. damnant, Hect. Felic. de Societ. d. c. 18. n. 15. & seqq. Graff. dec. aur. par. 1. lib. 2. c. 120. n. 13. 14. & 15. Cyriac. cont. 357. n. 14. & seqq. ubi enim Socius habet capitale securum, & percipit lucrum, dicitur mutuum contraxisse non societatem, Felic. d. c. 18. n. 71. & ubi sit pactum, quod quis habeat lucrum, & non sentiat damnum, dicitur Societas Leonina, ut inquit text. in l. si non fuerint §. arissoff. pro Soc. Cyriac. d. contr. 357. n. 17. & in terminis Societatis animalium quod non fit de improbitate talis pacti dubitandum, docet etiam Corac. de loc. & condit. par. 5. tit. de usur. q. 7. de collaticis Bovum n. 13. pag. mi. 432. ubi hæc habet-Septimus casu est, dant alii boves, velovos, vel alia animalia in Societate, ut quolibet anno recipiant certam pensionem, adjecto pacto quod si moriantur, vel aliquo pacto pereant, alia ejusdem qualitatis, & bonitatis reponantur, ita quod capitale sit semper salvum, nam talis contractus illicitus est, Cardin. in cap. fin. de usur. & Joan. Lup. ubi supra n. 8. attestans in facti contingentia annullare fecisse plures hujusmodi contractus, & appollantur boves sine cornibus ut dicit Cardin. in citato loco &c.

18 Neque tales contractus legitimantur per consuetudinem Regionis, quia quatenus de tali consuetudine constaret (quod non est credendum) non esset consuetudo, sed corruptela, quæ tanquam nutritiva peccati, nihil valet, ut in specie hujus pacti respondit objecto Rot. d. decis. 552. nu. 13. par. 1. rec. nec quis hujusmodi prætextu excusatur ab obligatione restituendi, nec effugit nullitatem contractus, licet fortè posset excusari à poena in foro externo, ut probant Leonard. de usur. quæst. 99. n. 3. & 4. Sperell. dec. 91. n. 81. & 82. quia ut inquit text. in cap. non satis de simon. diuturnitas temporis non minuit peccatum, sed auget.

19 Minusque contrahentes contra dispositionem dictæ Bullæ Sixti V. excusatur au-

toritas dictorum DD. tum quia eorum opinio est contra communem, & nullo juridico fundamento firmata, tum quia auctoritas, & potestas interpretandi jus Divinum data est, non Doctoribus forensibus, seu Theologis etiam Sanctis, sed Summis Pontificibus, quibus parendum est; imò quod peccent DD. & Theologi tenentes contra Constitutiones, & decisione Pontificum dicit Leo thes. for. Eccles. par. 3. cap. 7. n. 141. quia ubi est canon Summi Pontificis cessat auctoritas Doctorum, & Sanctorum Patrum, ut bene inquit Medic. tom. 1. tract. de legib. & stat. par. 2. quæst. 5. n. 3. Fagn. in cap. ne innitatis n. 6. de constit. & cum in §. 5. dictæ Bullæ auferatur omnibus, & quibuscunque Judicibus facultas aliter judicandi, & interpretandi, infirmum prorsus redditur, quidquid in contrarium audent firmare supradicti DD. quorum opinio cedere debet auctoritati B. Petri, ut acriter monet Sperell. dec. 105. n. 50.

Quidquid igitur sit in Societate officiorum vacabilium, de qua loquitur Rot. coram Coccin. decis. 70. & de contractu locationis prædii cum animalibus cum pacto illa restituendi in numero, & quantitate recepta in principio locationis, juxta terminos alterius decisionis Dunozet. Jun. la 54. & tandem quidquid sit de tribus contractibus distinctis cum una, & eadem persona faciendis, scilicet Societatis, assurationis, & venditionis lucris sperati, pro validitate contractus capitalis salvi, de qua inventionem, & articulo Navar. in manual. cap. 27. n. 254. & 255. (quem tamen refutat Hect. Felic. de Societ. cap. 19. numer. 4. & seqq.) de quibus hic non loquor, certum est quod contractus exemplificati in Bulla Sixti V. (quem convellere nefas est) & à DD. supra allegatis; sunt illiciti, improbi, & usurarii, contra quos, Concionatores, monitis, & minis æternæ damnationis, Confessarii denegatione absolutionis, & Episcopi gladio censurarum, insurgere debent, ut extirpentur.

Tertium exemplum est, in contractu mutui frumenti, quod datur rusticis, & aliis pauperibus tempore Autumni, vel hyemis, cum pacto, quod in messe, vel

vel alio statuto tempore, restituatur mutuanti cum aliquo augmento, sive ut vulgo dicitur *alla misura colma*: & tamen hæc conventio, sive sit expressa, sive tacita, usuraria est, juxta clarum textum in *cap. usura est* 14. *quæst.* 3. quæ usura non redditur licita prætextu, quod augmentum, quod recipitur, interserviat pro alimonia pauperum, sive pro alio opere pio exercendo: nam interrogatus de hoc Alexander III. ab Episcopo Panormitano, respondit *cum usurarum crimen utroque Testamento veteri, & novo condemnetur, super hoc dispensationem aliquam fieri non posse: quia cum scriptura sacra prohibeat pro alterius vita mentiri, multo magis est quis prohibendus, ne etiam pro redimenda vita capiat, usurarum crimine involvatur, ut habetur in cap. super eo de usur.* non enim sunt facienda mala, ut eveniant bona *cap. non est* 27. 1. *quæst.* 1. Et hæc vera sunt, sive mutuum fiat à privato, sive à Collegio, sive ab Universitate.

24. Quartum exemplum est, contractus qui vulgò vocatur *godere à godere*, græcè *anticrifeos*, seu *anticrifeis*, de qua pignoris specie sunt text. in l. si pecuniam 53. ff. de pignorat. act. & in l. si is 11. §. 1. ff. de pignor. quo fit pactum, ut tamen diu creditor re oppignorata fruatur, sive fructus pignoris salva sorte lucretur, donec debitum solutum fuerit. Hic contractus licet jure canonico improbetur, usurarius sit, & fructus pignoris debeant computari in sortem, *cap. 1. & seqq.* 14. *quæst.* 3. *cap. conquestus de usur.* ubi Barb. num. 1. & 2. c. ad nostram de jure jur. Gratian. *dis.* 14. n. 10. Leotard. de usur. 9. 1 v. num. 7. Pirhing. in jus can. l. 5. tit. 19. num. 98. adhuc ut notat. Caroc. de locat. & conduct. par. 1. tit. de promiss. locand. *quæst.* 4. pag. mibi 93. casus est quotidianus.

25. Remedium est, ut petens mutuum, non det mutuanti rem immobilem frugiferam in pignus, v. g. prædium, sed illud ei vendat certo pretio pro mutuo, seu debito, cum pacto redimendi, seu revendendi, quando debitor pretium creditori reddiderit: tunc enim credito per contractum venditionis factus est Dominus prædii, ideoque licite poterit percipere

fructus, ut docet Pirhing. loco supra citato *vers. porro*.

Ex qua constat. Usura, quæ hodie exercetur in abscondito, licet sit delictum difficilis probationis, adhuc de eo constare dicitur, & detegitur. Primò Instrumentis, Aposchis, & aliis Scripturis, ut in exemptis supra numeratis. Secundò libris rationum, quos requirente Judice ex officio, Usurarius edere, & exhibere tenetur, etiam sub pœna excommunicationis. *Clem. unio. §. ceterum de usur.* & etiam si illos retineat non tanquam persona publica, sed tanquam privata, quia in hoc fiscus est privilegiatus, ut distinguit *glos. in d. Clem. un. vers. rationem*. Tertio confessione extrajudiciali ipsiusmet Usurarii, coram pluribus facta. Quarto, testibus deponentibus se pluries vidisse mutuum dantem sub usuris licet sint singulares: nam quamvis testes singulares non sufficiant ad probandum actus singulares fœneris, sufficiunt tamen ad probandum in genere aliquem esse Usurarium, quamvis testes essent participes criminis, & deponerent soluisse usuras, ac contractus usurarios cum Usurario iniisse, dummodo criminis participes deponant ad favorem tertii, & non ad proprium commodum, ut de communi testatur Menoch. *de arbit. judic. cas.* 235. *numer.* 22. 23. 24. & 25. ubi dat cautelam, quod hi testes priusquam examinentur debeant renunciare in actis omni suo commodo, facta enim hac protestatione idonei sunt, prout dicit etiam Gaballin. *ad Constitution. Egidian. lib. 3. cap. 13. numer.* 2. Menochi: sequitur Leotard. *de usur. quæst.* 100. *num.* 16. ubi quod usura probata per testes singulares alioquin fide dignos, possit Usurarius ab Ecclesia corrigi, & coerceri. Quintò fama, & communi opinione, præsertim, ubi fama probata sit per decem testes, & concurrat alia conjectura, vel adminiculum, Vulpin. *Succ. Farinac. par.* 5. *quæst.* 42. n. 40.

Quando autem supradictæ probationes deficerent, ut sæpè evenit ob versutiam, & calliditatem fœneratorum, tunc ad præsumptiones, adminicula, argumenta, & ad conjecturas recurritur: nam etiam iis usura probatur c. 15. *de*

- de usur. ubi Bard. num. 3. quæ cum ex circumstantiis deducantur, certam regulam non habent, ideoque totum in arbitrio Judicis positum est, quæ conjecturæ sufficiant, ad probandam labem usuræ, ut ait Leotard. de usur. quest. 9. num. 1. 2. 3. & 8. & quidem leviores contra solitum scenerari sufficere, urgentiores verò contra Virum probum requiri dixit Sperell. dec. 27. n. 81. & 82.
- 28 Regulariter feneratoris conjectura est, modicitas pretii rei venditæ ultra dimidiam, juncto pacto de retrovendendo. Secunda, retentio domini rei venditæ. Tertia, pactum ut non liceat nisi post certum tempus redimere, cum læsione ultra dimidiam justii pretii. Quarta si bona vendita ab emptore ipsi venditori locentur pro pensione modica. Quinta, ex pactis insolitis, de quibus agit Leotard. d. 99. per tot. Barbof. in c. conquestus n. 10. de usur. & fufius Ciarlin. contr. 40. n. 54. & seqq.
- 29 Etiam post monitionem. Debet enim Episcopus priusquam ad censuras procedat, monere usurarios ad desistendum, & cessandum ab exactionibus, & contractibus usurariis sub pœna excommunicationis, qua monitione exequuta, & in Cancellaria reproducta, si moniti non desistant, instruitur processus, ex quo si remaneat probata intentio fisci, vel partis, decernitur nova monitio ad dicendum causam quare non debeat excommunicari, ad primam diem, & die immediatè sequenti, ad comparandum, & videndum se excommunicari &c.
- 30 Si reus compareat, & dicat, se non esse Usurarium, cum tamen ex Scripturis, & probationibus contrarium constet: vel dicat se non teneri restituere usuras, vel non exegisse, aut recepisse tantam quantitatem, non erit audiendus, sed poterit Ordinarius ad ulteriora procedere in declaratoria, etiam si a comminatione Censuræ appellasset, præsertim si ageretur de contractu usurario inito contra formam Bullæ Sixti V. de qua supra, cujus vigore contrahens, tanquam manifestus usurarius est puniendus, cap. quam perniciosum de usur. Pirhing. in jus can. lib. 5. tit. 19. num. 127.
- 31 Si verò dicit se non exegisse usuras, &

ex Scripturis, & probationibus non convincatur: vel exhibeat articulos, & testes ad reprobando testes fisci, seu partis, tunc auditur, & si appellat, admittitur appellatio, Pirhing. d. nu. 127. Verumtamen si appellaret post sententiam declaratoriam, illam non suspenderet: quia tunc excommunicatio secum trahit executionem, & excommunicatus per denunciationem plus non ligatur; ideo non obstante appellatione ipsum excommunicatum esse, denunciare poterit Episcopus, ut ab aliis vitetur, juxta textum expressum in c. pastoralis 3. §. Verum de appellat. ubi Barb. num. 6.

Et receptas restituerit. Omnes exigentes, & recipientes usuras obligantur, dummodò habent in facultatibus, & pœnis coguntur, & eorum hæredes ad eorum restitutionem, sive laici sint, sive Clerici, quinimò etiam Judæi rectè coguntur ad restitutionem usurarum, c. 7. plurib. seqq. de usur. ibique DD. communiter Pirhing. in jus can. lib. 5. tit. 19. n. 107. Ideoque quoties in foro contentioso de illarum exactione constat, debent restitui illis, a quibus fuerunt extortæ; si verò non supersint, vel inveniri non possunt, restituendæ sunt eorum hæredibus, & si etiam illi non extent, debent erogari pauperibus, vel Ecclesiis, aut aliis locis piis arbitrio, & judicio Episcopi: si verò non constet nisi in foro pœnitentiæ, restitutio fieri poterit pauperibus juxta assertionem pœnitentis, cui in hoc foro creditur Pirhin. loc. cit. n. 102. & 103. & proinde usurarii non sunt ab excommunicatione absolvendi (prout hic in formula dicitur) nisi restituant, vel saltem de restituendo idoneè caveant, Gavant. verb. usura numer. 13.

Ampliatur regula prædicta ad omnes illos, qui sunt ex parte usurarii causa efficax, ut usuræ exigantur, & solvantur: nam hi peccant, & obligati sunt ad restitutionem, saltem secundo loco, idest si Usurarius nolit, aut non possit restituere, ut docet Pirhing. loco supr. cit. num. 114. qui n. seq. exinde infert, quod Principes, Judices, & Domini temporales, qui lege, vel statuto decernunt, vel per præceptum, aut per sententiam com-

Compellunt subditos debitores ad usuras promissas solvendas: vel etiam cum usurae solutae repetuntur prohibent, vel impediunt, ne restituantur, tenentur ad restitutionem in solidum, si usurarius nolit, vel non possint restituere; quia id prohibitum est sub poena excommunicationis in Clem. unica de us. Caveant propterea Judices, qui clausis oculis exequi mandant contractus usurarios, & illicitos, de quibus supra mentio facta fuit.

34 Si de hoc crimine Clericum culpabilem Episcopus reperiat, illum moneat judicialiter, ut supra ad desistendum ab exactione usurarum, qui si contemnat obedire (cum sit ipso jure infamis, Paris. de resig. lib. 4. quest. 3. nu. 28.) ab officio ordinis, & exercitio suspendat: deinde, si adhuc in malo perseveraverit, ab ordine, & officio deponat, & gradatim con-

tra eum ad poenas procedat juxta ordinem traditum in c. 1. 14. quest. 4. Sperell. dec. 116. n. 12. Bellet. disq. cler. de poen. cler. §. 48. n. 2. in fin. De effectibus autem hujus verbalis depositionis dixi par. 2. tit. 15. ad for. 11. n. 9. & 10. Ad restitutionem vero cogendus erit poena suspensionis ab officio, & beneficio, Gavant. Verb. usur. n. 10.

De excommunicatione contenta in extravag. Cum detestabile de Simon.

Detestabile scelus Simoniae, ad cujus comparationem caetera crimina, quasi pro nihilo reputantur, c. per tuas 32. de Simon. toto vigore justitiae persequi debet, & sine dilatione; & cum ejus signa claruerint, reus ab Ecclesia Dei eliminetur, cap. sicut. 6. eodem tit. praemissa sequenti Declaratoria.

Sententiae Declaratoriae

F O R M U L A XXI.

V I s i s relatione, & instantia Prom. nostri Fiscalis, testibus, citatione ad sententiam, totoque processu constructo contra N. inquisitum de labe simoniaca per ipsum contracta in renunciatione Beneficii erecti in Ecclesia N. sub invocatione N. facta favore N. de mense N. per acta N. dicimus & declaramus, sufficienter constare de crimine Simoniae consumato, & tam d. N. renunciantem, quam N. renunciatarium, damnabiliter incurrisse excommunicationem latae sententiae Papae reservatam, & esse privatos dicto Beneficio, aliasque poenas contentas in Sac. Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis Pauli II. relat. in Extravag. 2. de Simon. & Pii V. la 5. §. 8. & ideo esse publice denunciandos, & prout excommunicatos denunciari volumus, Cedulones decernimus, & publicari mandamus omni &c.

N. Episcopus N.

N. Actuarius.

S U M M A R I U M.

- 1 In crimine simoniae quilibet persona admittitur ad testimonium ferendum.
- 2 In crimine simoniae testes probant, quamvis singulares sint.
- 3 In crimine simoniae complices admit-

tuntur ad revelandum.

- 4 Crimen haeresis, & crimen simoniae equiparantur.
- 5 In crimine simoniae, si non agatur per viam inquisitionis, testis singularis non probat, vel si sit socius criminis, & muneris.

6 Si-